

1588

viarum aditus interficiunt, catenas objiciunt, munitiones tumultuario opere probe lateribus tutas, milite adjecto, excitant: nusquam, nisi a regionum urbis præfectis edito nomine, aut fide ostensa, aditus patet. Brisacius, Boisdelphinius, Sciamajus, atque alii foederis antesignani in Helvetios impetum faciunt, nonnullos obtruncant, reliqui armis prope nudati terga vertunt; ex Gallicarum cohortium numero idem alii faciunt. Repentino hoc successu mirum in modum Henricus perturbatus, irarum faces, quibus incendebatur, premerre ac tegere nititur. Mater illico ad Guisium tendit, si qua forte ratione ea tempestas sedari queat. Verum res adeo processerat, ut nullatenus fisti procellæ impetus posset. Itaque regreditur, ac vix inter viarum septa rheda, qua vehebatur, ei aditus fuit. Magis magisque populo æstuante, Henrico nuntiatur, telum, ni caveat, in se casurum; per novam portam sequenti nocte duodecim circiter millia hominum urbem ingressuros; Luparæ palatum, ut ei exitum intercludant, invasuros. His nuntiis Henricus territus, pedes palatum egressus, infesso equo, cum e suis aliquot per eamdem portam Lutetia egreditur, in urbem sæpius conversus, Parisiensium ingrati animi crimen exprobrans, qui alias, supra quam dici posset, a se evecti, modo se deprimarent ac desererent. Postridie Carnutum pervenit, quo multi confluere.

Guisius ea occupare pergit, quæ, nullo obstante, ad se pervenerant, compluribus e suis admirantibus, quod aperte in Henricum infensus, vel nominis regii reverentia impeditus, vel conscientia territus, opportuna occasione minime usus, inani tantum terrore affecisset, cum vel in suam potestatem redigere, vel, nece illata, tollere potuisset. Aurelianii præfectori, foederatisque nobilibus in Beaussa ac circumiectis regionibus commorantibus, Lutetiae eventum significat. Ad Henricum vero literas dat: summa molestia se affectum, quod sibi ac suis diffidens Lutetia excesserit; quæ acta fuerant, populi metu Inquisitionem timentis facta: sincerae ipsius in Regem voluntatis Reginam matrem testem afferre. Eodem tempore Carnuto Henricus provinciarum gubernatoribus quæ acciderint enuntiat: nobiles civitatesque in fide contineant,

præ-

Henricus  
Rex Lute-  
tia abso-  
dit.

Guisi Du-  
cis litera-  
ad Regem.